



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 11. An attento novo jure Tridentini, possint abesse parochi
Studiorum causâ, ut olim licebat per quinquennium ex cap. fin. de
magistris &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

Respondeo cum communi, Illas causas excusare Parochum, quæ Episcopos à residentia pro tempore excusant, quæ tamen debent à proprio Episcopo in scripto approbari, ut disponatur in Tridentino sess. 23. de reform. cap. 1. Sic tamen ut ovibus suis ita provideat, ut quantum fieri potest ex illius absentia nullum detrimentum accipiant.

Quatuor verò sunt causæ quæ solent excusare. 1. Christiana charitas, ut est juvare aliam privatam Ecclesiam, lites dirimere, odio componere &c. 2. urgens necessitas, ut est curatio sine ægritudinis, fuga hostium, aut alterius gravis injuriæ inferendæ. 3. Debita obedientia, ut si ipsi aliquod justum obsequium imperet Pontifex, ejus Legatus, aut Episcopus. 4. Utilitas evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ, ut si pro necessaria reformatione conferat se ad superiorem, vel Synodum &c. de quibus fufius Azor p. 2. l. 7. c. 4. & Barbosa supra cap. 8.

Extra causas prædictas Tridentinum Sess. 23. cap. 1. indulget Parochis, ut per duos sive continuos, sive interruptos menses possint abesse, etiam ad honestam animi relaxationem, modò illud fiat absque ullo gregis detrimento.

Q U Æ S T I O X I.

An attento novo Jure Tridentini, possint abesse Parochi studiorum causâ, ut olim licebat per quinquennium ex cap. fin. de Magistris &c.

Affirmant Navarras, Toletus, Valentia, & quidam alij. Sed probabilior apparet responsio negativa, nec Episcopum posse illam facultatem concedere. Quia absentia ex causâ studiorum, non videtur esse hoc tempore causâ gravis, cum Parochi,

Parochi assumantur per concursum, adeoque censentur satis habere doctrinæ pro suo officio. Et in hanc sententiam plures Concilij declarationes adducit Garcia num. 81. inter quas hæc est quarta. Congregatio die 22. Februarij 1590. censuit Parocho causâ studiorum non esse dandem licentiam, cum hodie per Concilium non admittantur, nisi per concursum magis idonei fuerint iudicati. Et ita docet Riccius, Gonzales, Sanctarel, Alzedo, Candidus & Barbosa de offic. par. part. 1. cap. 8 n. 27. &c. Admittunt tamen plerique licere abesse ad docendum publicè Theologiam aut ius Canonicum in aliqua celebri Universitate.

QUÆSTIO XII.

An Episcopus possit obligare Parochos sub pœna excommunicationis aut suspensionis ut doceant suos subditos doctrinam Christianam? Respondeo, posse, ut doceant per se, vel saltem per alios: idque tam ex jure divino, quam ex Tridentino colligit Rodrig. tom. 1. sum. cap. 18. Sanchez lib. 2. sum. cap. 3. Castropalaus, Barbosa, Riccius in decis. Curia Archiep. Neapol. part. 1. decis. 22. ubi ait, de facto quendam Parochum suspensum fuisse ab officio suæ per sex menses, eo quod suos rudimenta fidei non docebat.

Addunt non pauci, posse etiam Episcopum per censuras & pœnas compellere pueros & rudes capaces, ut ad rudimenta fidei capescenda accedant. Ita fufius Fagundez, Perez, Sanchez, Rodrig. Palaus, Barbosa de offic. Par. part. 1. cap. 15. n. 6. contra Zerolem 1. p. praxis Episcop. verb. doctrina Christiana.

QUÆS-